

59.

ANALYSIS ET EXPOSITIO  
ORATIONIS DO-  
MINICÆ,

Ad Christianam συζήτησιν in illustri Scholâ Nassou-  
vica-Herbornensi proposita

a

GEORGIO PASORE, sacr. litt. ibidem Pro-  
fessore ordinario:

*Respondente*

JOHANNE HERBACHIO, Herbornensi sacr.  
liter. studioso.

Johan. 16. v. 23.

Amen, amen dico vobis, quæcunq; petieritis à Patre  
in nomine meo, dabit vobis.



HERBORNE RASSOVIORVM,  
Ex officina typographica Christophori Corvini,

1510 CXL.

NOBILISSIMO JU-  
VENI DOMINO JOHANNI  
INGHEN NÜLAND GELDRO LL.  
studioso fautori suo

Hanc disputationem inscribit  
& dedicat

RESPONDENS.

JU.  
ANNI  
RO. II

A N A L Y S I S   L O G I C A  
O R A T I O N I S   D O M I N I -  
C Æ,   Q U Æ   E X T A T   M A T T H Æ I  
6. v.9. & Luc.ii. v.2.

I.

L Uc.ii.v.1. indicatur precationis hujus *causa efficiens*, sive author, qui fuit JESUS CHRISTUS, nec non *causa impellens*, nempe discipulorum petitio. Itemq; (Matth.6.v.9. Luc.ii.v.2.) mandatum CHRISTI de hac precationis formula adhibenda.

II.

v.2. sequitur ipsa precatio, quæ constat exordio, narratione, confirmatione & epilogo.

III.

Exordium continetur illis verbis: Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς: petitum à *subject recip*. videlicet Deo Patre, qui ab *adj. cælesti* sua describitur majestate.

IV.

Narratio (*ibidem* v.2.3.4.) sequitur, quæ constat sex petitionibus: quarum prima spectat DEUM; reliquæ verò nos.

V.

Prima petitio comprehenditur his verbis: εἰδιδότω τὸ ὄνομα σου. h.e. Sanctificetur nomen tuum; ubi petimus, ut *finem* propter quem Deus nos creavit, & redemit, affequamur.

VI.

Petitionum, quæ nos spectant, sunt quinque, quarum tribus prioribus precamur bona; duabus posterioribus deprecamur mala.

VII.

Bona quæ petimus aut æterna sunt, ut petit.2. & 3. (Matth.6.v.10. Luc.ii.v.2.) aut caduca, ut petit.4. Matth.6.v.11. Luc.ii.v.3.

VIII.

Secunda petitio exprimitur his verbis, ἐλθέτω ἡ βασιλεία της. hoc

est, Veniat regnum tuum. ubi petimus *adjunctum* summum nostrum bonum,  
videlicet gloriam cælestem.

X.

Tertia petitio est in illis verbis, γεννηθήτω τὸ Θέλημά σου, ως εἰ ἡραντ,  
ἢ ἐπὶ Ιησοῦ χριστῷ. h. e. Fiat voluntas tua, sicut in celo, ita etiam in terra. ubi  
petimus *adjunctam* nostri regenerationem, & promptitudinem obediendi  
Deo, exemplo simili illustrata.

X.

Similitudo illa plena haec foret: Fac ô Deus, ut sicut angeli in celo te  
diligunt, laudant, audiunt, & aliis etiam se minoribus prosunt & inserviunt;  
te quoque pari studio & zelo colamus & honoremus; proximumq;  
juvemus.

XI.

Quarta petitio subicitur (Matth. 6. v. 11. Luc. 11. v. 3.) his verbis:  
Ἄρρενον ἡμῶν τὸ ὄφελον δός ἡμῖν σιμεόν: h. e. Panem nostrum substantivum,  
i. e. ad essentiam & vitam nostram sustentandam necessarium *da nobis*  
*hodie.*

XII.

Petimus hinc *adjuncta* caduca bona, amplificata ab *objecto* & *adjuncto*  
tempore. *Objectum* est essentia seu vita nostra. *adjunctum* tempus innuitur  
voculis τὸ κράτος ἡμέραν, itemque σιμεόν.

XIII.

Sequuntur petitiones duas ultimæ, quarum primâ deprecamur ma-  
la præterita, h. e. peccata commissa; alterâ verò mala futura, h. e. peccata,  
in quæ prolabi possumus. h. e. deprecamur *causam corruptentem* eorum  
bonorum, quæ suprà sunt commemorata.

XIV.

Per peccata enim non solum bona terrena nobis redduntur male-  
dicta & damnosa, sed etiam Dei gloria obscuratur, & vita æterna, quan-  
tum in nobis est, amittitur.

XV.

Quinta petitio ita habet (Matth. 6. v. 12. Luc. 11. v. 4.) ἡ ἀφεῖς ὑπὸ<sup>τὸ</sup> ὄφελον  
ἡμῶν, ως καὶ ἡμεῖς ἀφίειν τοὺς ὄφελούς ἡμῶν. h. e. Remitte  
obis debit a nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

XVI.

Deprecamur hinc *causam corruptentem* felicitatis nostræ, auctam à  
*simili*, videlicet nostro erga proximum affectu.

XVII.

XVII.

Sexta & ultima petitio his adjicitur verbis, καὶ μὴ ἐσενέγκης ἡμᾶς εἰς πε-  
ρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἵππο τῷ πόνῳ. h. c. Et ne nos inducas in temptationem,  
sed libera nos à malo.

XVIII.

Deprecamur h̄ic causam corruptentem futuram felicitatis nostræ, explicatam ab adverso. Adversa hæc sunt, inducere in tentationem, h. e. Satanæ tentandum & vincendum objicere, & liberare à malo, h.c. à Satana.

XIX.

Hactenus *narratio* fuit: sequitur *confirmatio* in illis verbis (Matth. 6. 13.) ὅποι τοῦ ἐστίν οὐ βασιλεία, ωὐ οὐ δύναμις, ωὐ οὐ δόξα εἰς τὰς αἰώνας. h. c. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula. Constat verò argumentis tribus.

xx.

Anteced.	Conseq.
Thema. O Deus	<i>bona illa nobis dato.</i>

Arg.(1) *Quia tuum est regnum.* Petitum est hoc arg. ab effecto antecedentis, & causa impell. conseq. (2) *Q. tua est potentia.* Arg. hoc sumptum est à q. ad-juncto anteced. & causa effic. consequentis. (3) *Q. tua est gloria.* Arg. hoc est ab adjuncto anteced. & fine consequentis.

XXL

Epilogus vocula Amen attexitur.

SCHOLIA IN ORATIONEM DO-

1

**M**atth.6.7.9. Πάτερ ἡμῶν est Græcisimus. Latinè, *Pater noster*. Germanicè, *Unser vatter*. Nomine *patri*, quidnam intelligatur, ex ipsius Christi verbis liquet, Johan.16.23. nec non ex symbolo Apostolico. Nec tamen Filius ac Spiritus S. excluduntur. Una enim est divinitas, una potestas, una voluntas & una operatio Patris, Filii & Spiritus S. Petimus à Patre, ut nos regeneret, peccata nobis remittat, in temptationibus à Satana nos liberet &c. Sed Pater nobis remittit peccata propter Filium, nos regenerat per Spiritum S.&c. Porrò Deum Patrem vocamus ratione

adoptionis. Rom.18. v.15. *Accipisti spiritum adoptionis, per quem clamamus  
Abba Pater.*

II.

‘Ο εν τοῖς υπαρχοῖς, videlicet h. e. in cælis existens, seu qui es in cælis. Est Hebraismus. Græcè diceretur ἀπάντεια. Confer v.26. c.6. Matth. Allegorica & minus genuina est eorum interpretatio, qui per cælos intelligunt mentes sanctorum. Cæterum perinde hic fuerit, utrum dicamus in cælis vel in cælo. Vox Hebraica non est singularis, ad quam Græcus sermo plerumque inflectitur. Intelligitur enim hic cælum illud supremum, quod Apostolus tertium vocat 2.Cor.12. v.2. Esaix 66. v.1. *Cælum ipsum* (ait Deus) *thronus meus est, & terra scabellum pedum meorum.* Adhac Deus dicitur esse in cælis, non simpliciter, sed comparatè. In cælo enim, ubi cum à facie ad faciem visuri sumus, (1.Cor.13. v.12.) clarius se patefacit.

III.

Ἄγια θύμα, h. c. δοξασθίω. Matth.5. v.16. Quo sensu δοξασθή hic accipiatur, intelligi potest ex Esa.5. v.16. nec non ex angelorum beatorum exemplo, Esa.6. v.3. Sanctificamus Dei nomen animo, lingua, vita. Clarius: Sanctificare Dei nomen, est facere quæ Deus à nobis in prima de calogi tabula exigit.

IV.

Tὸ ὄνομά σε. Per nomen Dei intelligitur Deus ipse, Psalm.7. v.18. & quicquid de eo dici potest, ut sunt ipsius proprietates & opera, Exod.15. v.4. Ὄνομα λόγος, qui vocem πατέρα vel Ἰνσπεροῦ scriptā vel prolatam adorant; nondum intelligunt, quid sit Dei nomen: eosque solis literis & sono inhærere inde colligimus, quod ad vocem Dei, Filii Dei, Domini, Servatoris &c. nullam edant reverentiæ significationem. Deus vero qui spiritus est, & spiritu coli vult, fictas ejusmodi & hypocriticas gesticulationes rejicit.

V.

Ἐλέθερον ἡ βασιλεία σου. *Veniat regnum tuum.* Regnum Dei in sacris literis trifariam accipitur. (1) pro regno potentiae quod nihil aliud est, quam omnipotens illa Dei vis: quæ omnes creaturas conservat, & moderatur. Psal.145. v.13.15. (2) pro regno gratiae, quod alijs dicitur Ecclesia, regnum cælorum, item regnum lucis, & opponitur regno tenebrarum, Luc.13. v.51. Matth.3. v.2. & 4. v.17. Hujus regni author est Dominus noster Jesus Christus. Hebr.2. v.14. Hoc regnum hic non petimus, sed in sequen-

sequentia petitione. (3) pro regno gloriae accipitur, quod electi cum gemitu (Rom. 8. v. 21. 23.) & exerto capite (Rom. 8. v. 19.) exspectant. Ut electi V. T. adventum Christi in carnem singulari cum desiderio exspectarunt: ita nos electi N. T. adventum Christi ad diem judicii, ὡς ξέροντες ταῦτα στέλλοντες (Act. 3. v. 21.) exspectamus. Et sicut Deus in V. T. electos suos in praesentissimis calamitatibus, & rebus desperatissimis per prophetas consolatus est ab adventu Christi in carnem (Esaiae 7. v. 14:) ita quoque; nunc par est ut ex secundo ejusdem ad nos adventu consolationem habuiamus in quacunque; vita hujus conditione.

#### VI.

Regnum gloriae hic intelligi putamus, his moti rationibus: (1) Quia alioquin secunda petitio non sine tautologia confunderetur cum tertia. (2) Quia petitio summi nostri boni, quod est regnum gloriae, quod adspiramus, & cuius quotidiana meditatione quamlibet vita hujus acerbitatum facile cum Iob (Job. 19.) devoramus, omittenda non fuit. (3) Quia in sacris literis regnum Dei quod promittitur venturum, usitate aliter non accipitur. Luc. 13. v. 28. & 14. v. 15. Matth. 25. v. 34. Hinc spiritus & sponsa, h. e. Ecclesia, ductore & doctore Spiritu S. ferme iisdem verbis orat Apoc. 22. v. 17. εἰ λαβήσετε, & ibidem v. 20. ωντες Χριστού Intra-

#### VII.

Γενηθήτω τὸ δέλημα σε. Voluntas Dei autem est non revelata, quae ab aliis dicitur voluntas beneplaciti, de qua Esaiae 46. v. 10. Rom. 9. v. 19: aut est revelata, quae voluntas signi dici consuevit, quia Deus significat, quid a nobis agi vel non agi velit. Matth. 12. versu 50. Heb. 10. versu 36. Johan. 4. v. 34.

#### VIII.

Voluntas signi rursus trifariam accipitur. (1) Voluntas Dei est, ut credamus. Johan. 6. v. 40. (2) ut sancte & castè vivamus. 1. Thess. 4. v. 3. 1. Johan. 2. v. 17. Matth. 9. v. 13. (3) ut suam singuli crucem patienter feramus. Act. 14. v. 22. Matth. 16. v. 39. 42. atque ita Christo capiti nostro conformes reddamur. Rom. 8. v. 29. De voluntate signi haec verba sunt accipienda.

#### IX.

Ως ἐν εὐαγγελίῳ δὲ τὸν γῆν προστέλλεται. Alii haec sic reddunt: Fiat voluntas tua a nobis sicut in celo & in terra. h. e. fac o Deus, ut sicut omnes creature officium suum, cui eas destinasti, faciunt, sic & nos loco nostro

pariter voluntati tux pareamus. Sed minus aridet hæc expositio, partim quia h̄ic sermo est de rationali obedientia; partim etiam quia creature sunt, quæ Deo coactæ parent, ut mali Spiritus.

X.

Tὸν ἄρτον ἡμῖν οὐκ εἶπε τοιον δός ἡμῖν. Nomine panis h̄ic per synecdochen ff. (confer Gen.3. v.19.) intelliguntur bona caduca ad vitam corporis sustentandam pertinentia. Est Hebraismus.

XI.

Porrò ὅμεσοι vulgo redditur *quotidianus* seu *succedaneus*, ὁμέσαι Malumus verò vocem hanc derivare, & componere ex ὅμη & σεια: & hac in parte Græcos sequi interpres, qui, ut probabile est, nativam hujus vocis significationem propius assequi potuerunt, quam alii. Veruntur verò non *πανεύκειρον*, (quæ versio non videtur carere tautologia, quippe Luc.11. v.3. sequatur τὸ *πάτερ* ἡμέρων) sed ὅτι τὴν ἔστιαν καὶ τροφὴν ἐπαρκεῖται, vel ὅτι τὴν ἔστιαν ἀρμόζει τα, h.e. substantiæ nostræ alendæ accommodatum. Eodem sensu Syriaca versio reddit *panem necessitatis*, h.e. *panem necessarium*. Et Agur (Proverb.30. v.8.) eundem in modum orat *התריפני לחם הארץ* *hatriphéni léchem chykkí* id est, *ale me pane demensi mei*. Veruntamen versio recepta, quæ ὅμεσοι exponitur *quotidianus*, à sensu ipso non multū ab ludit. Utralibet enim versione non panis copia, aut excellentia, sed necessitas tantum innuitur.

XII.

Alii nomine *panis* intelligunt panem spiritualem, de quo Johan.6. Græcam vocem ὅμεσον exponentes supersubstantialem. Vide vulgatam versionem Luc.11. Sed R. (1) plurimum differre τὰ ὅτι τὴν ἔστιαν, καὶ τὰ ὅτι τὴν ἔστιαν. ὅμεσοι significat *supersubstantialem*, non ὅμεσον. (2) Si panis h̄ic significat panem cælestem, de quo Johan.6. sequeretur, precationem hanc esse tautologam, quod de tam succinēto compendio dicere fas non est. Nam petit.3. petimus fidem, fidei incrementum, & charitatem. Fide verò editur panis ille cælestis Johan.6.v.35. Edere enim carnem Christi, nihil aliud est, quam credere in Christum, qui dedit carnem suam pro mundi vita Johan.6. v.51. uti ex ejusd.c.6. v.35.47. &c. planum est. (3) Et nisi in hac vita Deo tribuamus nutritiæ partes, ingratius. Et nisi temporalia bona à Deo petamus, oratio nostra manca & mutila fuerit. Deus vult à nobis agnoscî author omnium donorum. (4) Deus

(4) Deus nobis promisit tam corporalia bona, quam cælestia, I. Tim. 4.  
v.8. Ergo quidni bona quoq; corporalia peteremus?

XIII.

Sed qui hic panem cælestem intelligendum esse volunt, sic philosophantur:

*Spirituales tantum petere debent spiritualia.*

*At Christiani sunt spirituales.*

*E. Christiani tantum petere debent spiritualia.*

*Re. οὐαρυπιανοί esse in voce spiritualis.* Aut enim opponitur carnali & malo, & sic conceditur syllogismus: & tum nulla est objectio. Nam mala à Deo non sunt petenda. Vel opponitur corporali, & sic propositio falsa est. Nam spirituales petere debent, quicquid pertinet ad Dei gloriam & sui nec non proximi ædificationem, sive id sit spirituale, sive corporeale.

XIII.

v.12. q̄ aφεται. A φίέσαι remittere hic est condonare, non amplius recordari, Jerem. 31. v.34. delere, Esaix. 43. v.12. projicere in profundissimum maris, Mich. 7. v.19. non imputare, Psalm. 32. Rom. 4. v.8. purgare & lavare sanguine Christi, I. Johan. 1. v.7.

XV.

Ta δοειληματα, h. e. debita, metaph. Lucas c. 11. v.4. hunc tropum explicat. Debita ponuntur pro peccatis, quorum pecenam debemus. Intelligitur verò tam originale peccatum, quam actualia. In Adamo defecimus, I. Cor. 15. v.22. Omnes ergo mortem debemus juxta Dei sententiam, Gen. 2. v.17. Rom. 5. v.12. Hinc à morte, & morbis, qui viæ sunt ad mortem, ipsi infantes non sunt liberi. Peccavimus, & peccamus actualiter quotidie, quibus quoque peccatis maledictionem nobis attrahimus, Deut. 27. v.26. Tam deploranda est conditio nostra, ut debita hæc quotidie augeamūs, & tanquam aquas iniquitatem imbibamus, Job. 15. v.15. Jacob. 3. v.2. Prov. 24. v.16. Sanguis Jesu Christi est unica panacea aduersus omnia ista mala, I. Johan. L. v.7.

XVL

ως q̄ νικεῖς, illustratio hæc est à simili, non à causa meritoria, sicuti similium nota ως q̄ ostendit. Nos remissione nostrâ non meremur tantum Dei beneficium, videlicet absolutionem ab aeterna morte. Nec tamen improbamus eorum analysin, qui illustrationem hanc à causa impellente esse ajunt: verba hæc hoc modo explicantes: O Deus, Dominus noster

B

Jesus Christus Filius tuus dilectus promisit, *siremittamus proximo, te quoq;  
nobis remissurum*, Matth. 6.v.14: *Nunc verò nos hoc tue gratiae testimonium in  
cordibus nostris sentimus, quod firmiter nobis propositum habeamus, omnibus, qui  
nos offenderunt, ex animo ignoscere.* Ergo nobis quoq; *remitte peccata nostra.*

XVII.

¶.13. *εἰς πειρασμὸν.* Tentatio aut est ad bonum, aut ad malum: illa  
est à Deo, hæc à Satana, mundo & carne. Deus tentat (1) in rebus secun-  
dis, Exod. 16.¶.5. Gen. 15.¶.16. Jerem. 5.¶.24. (2) in adversis, Deut 8.¶.2.  
Exod. 15.¶.25. & 20. versu 4. (3) per falsos prophetas, Deut. 13.¶.3. (4) spe-  
ciali jussu, Gen. 22.¶.2. Sed de tentatione ad bonum hic sermo non est.

XVIII.

Tentationes ad malum sunt quidem à Satana efficiente, à Deo ta-  
men, sine cuius nutu nihil potest, permittente, & suos ad tempus deser-  
te, 2. Chron. 22. ¶.31. 2. Sam. 24. ¶.1. Sunt verò tot temptationes Satana,   
quot esse possunt peccata & errores. Error est vitium intellectus: pecca-  
tum voluntatis. Variant rursus temptationes istæ pro varia hominum ãta-  
te, sexu & statu. Inprimis notentur tres illæ temptationes, de quibus  
Matth. 4. Mundus tribus modis nos tentat: (1) illecebris & blanditiis  
suis palpum nobis obtrudit, Num. 25.¶.2. qua in re Satana, primi adulato-  
ris, ingenium refert, Gen. 3.¶.5. (2) splendore & potentiam nos terret, Dan.  
3.¶.15. (3) apertâ vi, flammâ & ferro nos persequitur, Dan. 3.¶.21. Caro  
nostra Satanae mancipata (Rom. 7.¶.14.) tot modis nos tentat, quot Sa-  
tanæ. Hinc in renatis lucta inter carnem & spiritum. Rom. 7. Petimus  
hic ne in illa lucta succumbamus.

XIX.

*Ἄπο τῆς πονηρᾶς. h. c. à maligno, videlicet à Satana. Synecdoche generis. Di-  
citur πονηρὸς καὶ ἐξοχῶς, οὐδὲ τὸ πόνον παρέχειν τοῖς ἀλεκτοῖς, juxta ipsius  
Dei vaticinium, Gen. 3.¶.15. Hanc expositionem requirit antithesis.  
Hinc Satanæ dicitur ὁ πειράζων, Matth. 4.*

XX.

"*On σὺ εἶνι: verba hæc Luc. 11. non habentur. Par ratione Paulus  
ex teris Evangelistis pleniū describit cenam Domini. Non verò faci-  
mus cum iis, qui ajunt, hæc verba non esse de textu evangelico, sed à Græ-  
cis inserta, veluti communem precum clausulam.*

XXI.

*Ἄμνη vox hæc origine Hebræa est, & idem valet quod γένοτο, verum  
εἰπεν.*

*& ratum sit, Deut. 27. v. ultim. Sæpe etiam asseverationem & juramentum significat, Johan. 3. v. 3. & passim. Hic verò confessionem fiduciae, quā o- rans confidit, se certò exauditum iri.*

## O B S E R V A T I O N E S

ex v.9.c.6.Matth. & v.2.c.11.Lucæ.

1.

**P**recatio hæc à nobis diligenter consideranda, & studiosè frequentanda est. Nullus hominum aut angelorum meliorem orandi formulam nobis præscribere potuisset. Solus enim C H R I S T U s, æterna P A T R I S sapientia (Prov. 8.) angelus ille federis (Malach. 3. v. 1.) quem P A T E R advocatum nobis constituit (1. Johan. 2.) optimè novit, quibus rebus nos potissimum egeamus, & quo ordine, fine & modo quævis bona à Deo sint petenda.

II.

*Ex eod. Agamus Deo gratias pro tanto beneficio, qui nos h̄ic per Filium suum docet rationem, quævis bona nobis necessaria à se impetrandi.*

III.

*Ex eod. Hæc oratio sit regula omnium nostrarum precum, & cava-  
mus, ne preces nostræ ab hac precatione discrepent, vel extra metas ejus  
vagentur.*

IV.

Monemur h̄ic statim in ipso vestibulo, nos naturā esse inceptos ad credendum, & bene vivendum, nisi h̄æc dona Deus nobis impertiatur.

V

Ex v.9.c.6. Matth. & v.2.c.11. Lucæ discimus, quisnam sit invocandus, vid. solus Deus. Hic enim solus & vult & potest nos juvare, & novit omnes nos juvandi vias. Hujus solius nomen à nobis est sanctificandum: E S T E N I M Z E L O T E S, Exod.20. v.5. Esaiæ 9. v.7. Hic solus nos regenerat, peccata nobis remittit, à malo liberat, gemitus cordium nostrorum intelligit. Quare sacrilegi idololatræ sunt, qui laudem omnisciæ ac omnipotentiaæ cum creaturis communicare, ad easq; preces suas dirigere non erubescunt.

VI.

*Ex eod.v. Judæi & Turcæ verum Deum non invocant,quia non credunt in Filium, i. Johan.2. v.23.*

VII.

*Ex eod.v.* Si Deus est pater noster, fidamus ei. Ne dubitemus de ejus paterna cura & affectu, sicut Servator noster, ipsa veritas, loquitur Luc.ii. v.13. *Si parentes vestri non dant lapides pro pane, nec serpentem pro pisce, quanto minus id facturus est pater noster celestis.* Hic licet nos non semper exaudiat ad voluntatem, tamen ad commodum nostrum. Etsi non semper dat, quæ petimus; tamen meliora dat.

VIII.

*Ex eod.v.* Deus est pater noster. Ergo cum timeamus, & peccata tam interna, quam externa fugiamus. Malach.i.v.6. Item ei nos castiganti ne obstrepamus. Patris enim est, filium lascivientem castigare. Heb.12.v.6.

IX.

*Ex eod.v.* Pater noster est in celis. Ergo nos in his terris peregrinamur, Psal.39.v.13:119.v.18. Heb.13.v.14.

X.

*Ex eod.v.* Deus est pater noster. Ergo omnes Christiani, qualescumque simus, reges & subulci, nobiles & ignobiles, fratres sumus, & in regno Dei æquales. Si quis vero laedit, oderit aut contemnat alios, & interim Deum patrem suum appellat, mentitur, i. Johan.4.v.20. Et ô infelicem & miserum, qui hasce preces ne inchoare quidem potest! Qui alium Christianum non habet pro fratre, nec hunc Deus habebit pro filio.

XI.

*Ex eod.v.* Oramus, *Pater noster*, non *Pater mihi*: quare monemur etiam pro aliis nos orare debere. Deus enim haec à nobis hic poscit. Confer i. Timoth.2.v.1.

XII.

*Ex eod.v.* Monemur hinc, Ecclesiam etiam pro te & me orare. Haec considerent tyranni, aliqui qui domos viduarum devorant (Matth.23.v.14.) qui bona orphanorum qualibuscunque suis technis ad se derivant, qui afflictis afflictionem addunt, Jer.22.v.3. Exod.22.v.24.

XIII.

*Ex eod.v.* ex illis verbis, *Qui es in celis.* Haec verba quando cogitamus, aut loquimur, in mentem veniat infinita Dei maiestas & potentia, cuius imperio subsint omnes creaturae. Confer Psal.2.v.4. & 115.v.3. Monemur de humiliatione & subjectione. Deus est in celo, nos vero terreni sumus vermiculi. Confer Job 25.v.4.6.

XIV.

XIV.

*Ex iisdem v. Discimus hinc vitam à nobis agendum non terrenam, sed cælestem. Rom. 6.v.4. Coloss. 3.v.1.2. τὰ ἄνω ζῆτε.*

XV.

Ex verbis, *Sanctificetur nomen tuum*, discimus, quidnam præcipue petere nos oporteat, & quò spectare nos deceat in tota vita nostra, nempe ut Deo sua constet gloria. 1. Cor. 10. v. 31. Ergo magistratus scholas appetiat; Heri doceant domesticos sanctificare nomen Dei. Singuli de operibus Dei colloquamur, & alter alterum ad Dei gloriam enarrandam exicit. 1. Thess. 5. v. 11. Matth. 18. v. 15. & 25. v. 36.

XVI.

*Ex iisdem verbis* discimus, qualēnam simus à lapsu, videlicet proni ad blasphemias, & profanationem nominis divini. Seculum nostrum prohdolor hujus rei exemplum præbet evidentissimum. Dies Domini profanatur convivando, negotiando, lusitando &c.

XVII.

Ex verbis, *Adveniat regnum tuum*, Dei erga nos agnoscamus bonitatem, qui regnum gloriæ nobis paravit, antequam essemus, Matth. 25. v. 34. Agamus Deo gratias. Ne dubitemus quin regnum hoc suo tempore nobis sit datus, quippe qui nos illud hīc petere jussérunt. Exaudire enim vult omnes ex voluntate ipsius orantes, 1. Johan. 5. v. 14. Et quomodo rescularet, quæ Filius ejus dilectus nobis est meritus?

XVIII.

*Ex iisdem v.* In omnibus afflictionibus cogitemus de extrema & plenaria nostri liberatione, & ex intimis animi penetralibus sic oremus Deum, *Veniat regnum tuum. Veni Domine Iesu*, Apoc. 22. v. 20. Hac ratione Jobus se consolatus est, Job. 19. v. 26. Haec cogitent cæci (de piis loquor) claudi, surdi, aliâque quacunque infirmitate laborantes, fore, ut aliquando plenè convalescant in resurrectione justorum.

XIX.

*Ex iudem verbis.* Vitam nostram feriò emendemus, de eaque quotidie, antequam oculi nostri somnum videant, rationem ipsimet exigamus. Quotidie nos præparemus. Qualis enim est vita nostra, talis mors eam consequi solet. Nunquam vesperi pedem in lectum ponamus, quin ita oremus, *Aeternæ Deus, pater cæstis, te rogamus ut beatam mortis horam nobis concedas*. Nec manè cubitu surgamus, quin dicamus, *O misericors Deus* gra-

tia tua singulis matutinis nova est. Te rogamus, ut hic resurgamus per gratiam Spiritus tui a morte & somno peccatorum, & tandem ad gloriam, per & propter Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui est via, vita & resurrectio.

XX.

Ex verbis illis, *Fiat voluntas tua &c.* discimus, qualisnam sit Deus, & quales nos. Deus sanctus est & peccata odit: at nos naturâ sumus caci, duri, præfracti. Nam si vita nostra voluntati Dei congrueret, non opus esset, ut peteremus vires a Deo eam præstandi.

XXI.

Ex iisdem verbis. Agamus Deo gratias, qui per Spiritum in hac vita nos regenerare incipit, nobisq; dedit media, quibus tantum bonum obtinere possumus, videlicet verbum suum & preces.

XXII.

Ex iisdem v. Sanctos angelos imitemur, quorum exemplum Filius Dei hic nobis proponit. Sancti angeli serviant Deo ex omnibus viribus, voluntate promptissimâ, Dan. 7. v. 10. Psal. 103. v. 20. Laudant Deum; & ejus bonitatem, justitiam, sapientiam & omnipotentiam ex operibus creationis, gubernationis & redemptionis elucentem celebrant. Luc. 2. v. 14. Custodiunt homines. Servi sunt eorum, quibus sunt præstantiores. Ergo nos miseris opem feramus. Pes simus claudio, cæco oculus, auris surdo, Job 29. v. 15. Ne putemus, nos natos esse abdomini nostro, proprium commodum esse querendum, 1. Cor. 13. v. 5.

XXIII.

Ex iisdem v. Qui vivunt ut sancti angeli, olim erunt ἵστασθαι, & sanctorum socii in celo. Sed qui vivunt, ut mali spiritus, qui se voluant in cœno voluptatum, qui mendaciis & cædibus gaudent, qui verbum Dei contemnunt, alios seducunt, veritatem diris insectantur, olim malorum spirituum erunt socii in gehenna. Matth. 25. v. 41.

XXIV.

Ex verbis, *Panem nostrum necessarium da nobis &c.* discimus, Deum esse datorem & conservatorem vitæ hujus corporalis, eum fontem esse omnium honorum, nec fortuito casu bona terrena nobis obtingere (Hos. 2. v. 21. 22.) sed certo Dei consilio singulis suum dari demensum, in qua sapientissimâ Dei distributione nos acquiescere fas est. Psal. 104. v. 28. Acto. 14. v. 17. Psal. 36. v. 8. 9. 10.

XXV.

*XXV.*

*Ex iisdem v.* Omnis nostra cura vana est sine Dei benedictione. Terra propter peccatum maledicta fuit: Gen. 3.v.17.18. Ergo oremus Deum, ut nobis, laboribus nostris & terrae fructibus rursus benedicat propter CHRISTUM. Psal. 127.v.1.2. Levit. 26.v.26. Hinc Salomo docet Prov. 10. benedictionem Dei ditare.

*XXVI.*

*Ex iisdem v.* Quotquot sumus, mendici sumus. Nihil habemus, quod Dominus non dederit. 1. Cor. 4.v.7. Nihil in hunc mundum intulimus. Nudi nascimur, denascimur nudi. Eccl. 5.

*XXVII.*

*Ex iisdem v.* Petimus panem nostrum. Ergo labore & sudore vultus nostri cum acquiramus. Ne otio nos dedamus. Ne vescamur alieno pane, ut fures. Eph. 4.v.28.

*XXVIII.*

*Ex iisdem v.* Petimus panem τὸν γείσιον, h.e. nobis alendis sufficientem. Discamus hinc, quisnam sit finis terrenorum bonorum, videlicet ut sint οὐτε στασια. Monemur etiam de temperantia. Natura enim paucis est contenta. Et ut in deserto (Exod. 16.) non plus mannae habebant, qui sibi videbantur plus collegisse: ita nec hodie plus habent, qui sibi videntur plus coacervasse. Illud enim tantum nostrum est, quo utimur. Et notum est illud, De malè quæstiū non gaudet tertius heres.

*XXIX.*

*Ex iisdem v.* Petimus panem nostrum. Ergo liberalitatem in alios exercamus, cogitantes, nos bonorum illorum esse tantum œconomos. Luc. 11. 1. Pet. 4.v.10.

*XXX.*

*Ex verbis,* Remitte nobis debita nostra &c. discimus, solum Deum peccata remittere. Matth. 9.v.3. Esa. 43.v.45. Ideoque huic peccata esse confitenda, & veniam illorum ab ipso solo petendam. 1. Johan. 1. v.9. Psal. 32. v.3. Imitemur publicanum, Luc. 18. Ne putemus, nos justificari operibus nostris. Tit. 3.v.1.

*XXXI.*

*Ex iisdem quoq<sub>z</sub> verbis* discimus, Deum odisse peccata.

**X X X I I I.**

*Ex iisdem verbis* docemur, peccatores nos esse omnes ad unum, & manere tales, quamdiu vivimus, sicut ex hac petitione planum est. Confer Psalm. 143. v.2. Et hic ne sanctissimi quidem excipiuntur. Opera ergo supererogationis hypocitarum nugæ sunt.

**X X X I V .**

*Ex iisdem verbis.* Cogitemus de C H R I S T O mediatore, propter cuius mortem Deus peccata nobis non imputat, 1. Johan. 2.v.2. 2. Cor. 5. v.21. Quicunque C H R I S T U M hunc crucifixum oculis fidei intuetur, à mortu antiqui serpentis sanatur. Johan. 3.v.14.15.

**X X X I V I I .**

*Ex iisdem verbis.* Certi sumus peccata nobis à Deo esse remissa, si aliis injurias ex animo condonemus. Nam ubi sincera charitas, ibi est fides. Ubi est fides, ibi remissio peccatorum est. Gal. 5. v.6. Rom. 5.v.1.

**X X X V .**

*Ex iisdem verbis.* Diligendus est à nobis proximus. Qui proximum diligit, certus est se quoque à Deo diligi, & contrà. 1. Johan. 4.v.20. Ignoscamus aliis, qui nos læserunt, sive veniam petant sive non. Alioquin Deus dicet, Cur misericordiam à me petis hypocrita, qui misericordiam odisti? Matth. 18.v.32. Quomodo me appellas patrem, qui alium Christianum non habes pro fratre? Quomodo orare potes ut sanctificetur nomen meum, qui illud vitâ tuâ blasphemas? Quo animo oras, ut veniat regnum meum, quum nihil magis mctuas, quam adventum meum ad iudicium? Et quam conscientiâ petis, ut fiat Dei voluntas, qui tuam corrumpam voluntatem meæ anteponis? &c.

**X X X V I .**

*Ex illis verbis, Ne nos inducas in temptationem,* discimus, nullam esse temptationem, quin à Deo sit vel cum effidente, vel permittente. Confer Exod. 16.v.5. Deut. 8.v.2.16. & 13. v.3. 2. Chron. 22.v.31. 2. Sam. 24. v.1. 1. Reg. 22.v.22.

**X X X V I I .**

*Ex iisdem verbis.* Caveamus, ne Deum auctorem peccati statuamus. Nam Deus tentat ad bonum, h. e. ut patescat electorum fides, constantia & pietas ipsis electis & mundo. Sinit quidem Deus suos quandoque ad tempus

9

tempus labi (Prov.24.) sed rursus eos erigit. 1. Cor.10.ver.3. Idque facit,  
ut discant, quam natura sint fragiles, ne freti propriis viribus aliquid ag-  
grediantur, sed semper ab unius Dei auxilio & nutu pendeant. Jerem.10.  
v.23. *Novi Domine, non esse penes hominem viam ipsius; non esse penes virum ambu-*  
*lantem dirigere gressum suum.*

### XXXVIII.

*Ex iudem verbis.* Monemur hic porrò, sine Dei auxilio tentationes  
nos superare non posse. Nam hostes nostri multi, potentes & versuti;  
nos contrà debiles sumus, imbecilli & (Luc.12.v.32.) infantes. Matth.11.  
v.25. Ergo quoties nobis vel invitis obrepunt turpes cogitationes, ne  
definiamus ad Deum ingemiscere: *O pater calestis, ne nos inducas in tentatio-*  
*nem.* Confer Luc.22.v.31.

### XXXIX.

*Ex iisdem verbis.* Ne despondeamus animum in spirituali hoc certa-  
mine. Nam (1) Deus non sinet nos tentari ultra vires, 1. Cor.10.v.13.  
(2) Sine Dei voluntate ne pilum capit is amitteremus, quantò minus  
vitam æternam, Luc.12.v.7. Satanus sine Dei permisso ne in porcos qui-  
dem habet potestatem, Luc.8.v.33. (3) Cedunt in commodum nostrum,  
2. Cor.12. v.7. Rideat Satanus. Scil. hoc consequetur, ut augeat præmia &  
coronam vitæ æternæ, non ut nos è manu Dei abripiat in barathrum ge-  
hennæ. Rom.8.v.28.

### XL.

*Ex iisdem verbis.* Veruntamen ne simus securi, licet tuti simus. Deus  
vult nos tueri, sed mediatè. Quicunq; peccat, tentatur. Ergo semper à Sa-  
tana tentamur. Nunquam igitur securitati nos demus.

### XLI.

*Ex iisdem verbis.* Discamus hic, quibus armis Satanus ē πονηρός, & se-  
men ejus vinci & profligari possit. Lege Marc.9. v.29. & Ephes.6.v.13. &  
deinceps. Frenemus carnem cum Paulo, 1. Cor.9.v.27. Imitemur Servato-  
rem nostrum, heroēm fortissimum, qui communem hunc & juratum hu-  
mani generis hostem gladio verbi divini profligavit. Matth.4.

### XLII.

Ex illis verbis, *Quia tuum est regnum &c.* discamus, preces nostras non  
nitimurit sanctorum, aut nostrā dignitate, sed solā Dei bonitate & po-  
tentia. Dan.9. v.18.

XLIII.

*Ex iisdem verbis.* Notemus h̄ic discriminē inter regnum Dei & hominum. Homines ut sunt mortales, ita quoque, ipsis morientibus, eorum quoque gloria, quæ nihil aliud est quām splendida miseria, concidit. Potentia hominum est instabilis, & regna caduca, quorum certae sunt periodi, quibus circumactis collabuntur. Sed regnum Dei, est regnum æternum, Psal. 145. v. 13. Esther 13. v. 9.

XLIV.

*Ex iisdem verbis.* Discimus præterea, preces nostras referendas esse ad unius Dei gloriam. Malus angelus hunc honorem petens, fert repulsam, Matth. 4. v. 9. 10. Bonus contra angelus, hunc honorem à Johanne sibi delatum, humiliiter respuit. Apoc. 19. v. 10.

XLV.

Ex ultima vocula *Amen* discimus, quomodo sit orandum, videlicet ex vera fide, Jacob. 1. v. 5. 6. Rom. 10. v. 4.

*Rom. 11. v. 36.*

Tōn θεων ἡ δόξα εἰς τὸς διάβολος αὐτοῦ.





igit. 1. Cor. 10. ver. 3. Idque facit,  
freti propriis viribus aliquid ag-  
lio & nutu pendeant. Jerem. 10.  
in ipius; non esse penes virum ambu-

rd, sine Dei auxilio tentationes  
stri multi, potentes & versuti;  
uc.12.v.32.) infantes. Matth.11.  
epunt turpes cogitationes, ne  
r calefus, ne nos inducas in tentatio-

animum in spirituali hoc certari ultra vires, i. Cor. 10. v. 13. is amitteremus, quanto minus Dei permisum ne in porcos qui- edunt in commodum nostrum, nsequetur, ut augeat præmia & Dei abripiat in barathrum ge-

us securi, licet tuti simus. Deus  
tacit, tentatur. Ergo semper à Sa-  
ni nos demus.

us armis Satanas ὁ πονηρὸς, & se-  
Marc.9.v.29. & Ephes.6.v.13. &  
Cor.9.v.27. Imitemur Servato-  
m munem hunc & juratum hu-  
rofligavit. Matth.4.

c. discamus, preces nostras non  
te, sed solā Dei bonitate & po-

C

egundos  
mocionable  
nifaria, con  
un corde  
Dici, et ag  
tras refres  
petras, por  
en a jude  
fit oracion

ist.

